



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De tempore sepeliendorum corporum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

sto, qui cum patre, & Spiritu sancto ui-
uit, & regnat Deus, per omnia sæcula se-
culorum. R. Amen.

V. Dominus uobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie
eleison. V. Benedicat & exaudiat nos Deus.

R. Amen.

V. Procedamus cum pace.

R. In nomine Christi.

V. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

Tum aspergendo sponfos aqua bene-
dicta, dicat.

V. Pax & benedictio Dei omnipotentis
Patris, & Filii, & Spiritus sancti
descendat super vos, & maneat sem-
per. R. Amen.

Peracta benedictione sponfos hoc mo-
nebit, ut nocte saltem sequenti in casti-
tate & uirginitate permaneant, propter
reuerentiam ipsius benedictionis. Ca-
ueant uero omnino ut supra dictum est,
saltationes, & tripudia, aliaque omnia
matrimonij sanctitati repugnantia.

Si thalamo nuptiali benedicendum est, Pa-
rochus benedicet ex scripta formula.

**RUBRICÆ SEV INSTRV-
ctiones Generales.**

Pro benedictionibus.

IN omni benedictione sacerdos super
pelliceo, & stola præterea pro ratio-
ne temporis utetur, nisi aliter notabitur.
Stando semper benedicet, non sedendo,
aut genuflectendo; & capite aperto.

In principio cuiuscunq; benedictio-
nis dicet quæ sequuntur; & dum dicit:
Deus in adiutorium, signum Crucis ad-
hibeat.

V. Deus in adiutorium meum intende.

R. Domine ad adiuuandum me festina.

V. Gloria Patri & Filio, & Spiritui san-
cto. R. Sicut erat in principio, &c.

Halleluia. In quadragesima omisso halle-
luia, dicatur Laus tibi domine; rex æter-
næ gloriæ.

Kyrie, eleison, Kyrie eleison, Kyrie
eleison.

V. Dominus uobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Postea oratio, uel orationes propriæ.

In fine benedictionis semper dicat:

V. Dominus uobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Kyrie eleison, Kyrie eleif. Kyrie eleif.

V. Benedicat, & exaudiat nos Deus.

R. Amen.

V. Procedamus cum pace.

R. In nomine Christi.

V. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

Postea aspergat aqua benedicta ter res;
primò in medio, secundò à parte dexte-
ra, tertio à parte sinistra, nihil dicendo;
nisi in proprijs locis aliter notetur.

Cum sacerdos aliquid benedicturus
est, habeat duos clericos: quorum unus
uas aque benedictæ cum aspergillo, al-
ter uero librum hunc ritualem teneat;
aut unum saltem, qui ei actioni inferuiat.
Benedicet in Ecclesia ad altare stans in
cornu Epistolæ, aut etiam in Sacristia
ad mensam decentem, pro ratione co-
rum quæ benedicuntur.

Sed caueat, nè benedictionis gratia po-
nat aliquid indecens super Altare, ueluti
esculentia: sed quod eiusmodi est, ponat
super aliquod scamnum paratum loco
commodo.

**I N S T R U C T I O N E S
Ad funera ducenda,**

Et alia officia mortuis præstanda, ma-
ximè ex Concil. Prouinc.

De tempore sepeliendorum corporum.

NE corpus aliquod sepeliatur, nisi
duodecim saltem horis postquam
spiritum exhalauerit. Verùm si quem de
improviso mors, aut morbi alicuius re-
pentina uis occupauit, is ne in sepulcrum
inferatur antè uigesimam quartam hu-
iusmodi repentini euentus horam, nisi
Archiepiscopus aliter ex causa conce-
serit.

Antè solis ortum, & post occasum, mor-
tuis ad sepulturam ne efferatur; neque
inter maioris Missæ celebrationem,
quæ de tempore sit, in Ecclesiam in-
feratur.

Aptissi-

Prou. 6. 11.
quæ ad fun-
per 6.
Deleturum-
309.

Pro 6. 11. de
fun. pag. 311.

Aptissimum verò tempus ad fidelium corpora sepelienda est matutinum; vt scilicet pro eis Missa defunctorum ex ecclesiastico ritu, si commodè possit, & ritus non impediatur, celebretur.

Dioec. xi. p. 412.

Curandum est, nè die festo funus ducatur: aut si ducendum sit, vt fiat post Vesperas. Sed non prohibetur tamen, quin ob urgentem causam Missa conuenientis pro mortuo qui sepelitur, tali die celebretur, nisi alioquin ritus id nullo modo ferat.

De funere ducendo.

Prou. 3. vlt.

Singularum Ecclesiarum cathedralium, collegiatarum, ac parochialium Ecclesiarum clericis, vna tantum suæ ecclesiæ crux præferatur; neq; aliæ in funere deferantur, nisi quas suus quantusque clericus subsequatur. Quòd si alij quoq; clerici inuitati fuerint, eius rectoris qui inuitauit, crucem sequentur.

Ibidem.

Cùm mortuus efferendus erit, cuiusuis ecclesiæ clerus qui vocabitur, in vnâ proximam mortui ædibus ecclesiam cõgruo processionis ordine conueniat. Inde omnes ordine procedentes bini, canentes antiphonas suo loco notatas, aut alij quos psalmos, si via longior fuerit, mortuum ab eius ædibus ad sepulturam committentur.

Cùm ad ecclesiam venerint, omnes corpus suo ordine circumstent, instituta officia celebrantes; nec prius discedant, quàm corpus in sepulchrum illatū fuerit.

Deinde singularum ecclesiarum clerici, eodẽ ordine quo venerant, crucem præferentes, ad ecclesiam suam redeant.

Caueant omnino Parochi, nè pallia, aut alia altaris ornamenta adhibeant, accommodentve ad ornatum feretri, aut tumbæ: sed feretro pallia adhibeantur, communibus cuiusque vicinij sumptibus comparata; atque omnibus in funere gratis accommodentur ad Concil. Prouin. 1. & 4. præscriptum.

Prou. 7. vlt. Prou. 4. tit. defunct. pa. 257. §. vbi ea nostra.

Si verò propinqui, vel hæres mortui, alio pallio proprijs expensis comparato vti voluerint; post funus illico ei ecclesiæ in qua corpus sepultum fuerit, acquisitum sit: quòd si aureum vel fericum, aut omnino pretiosum fuerit, ad eiusmodi vsu nullo modo in posterum

adhibeatur, sed in eiusdem ecclesiæ ornamentum conuertatur.

Cùm ex parochia cui sæcularis sacerdos præsit, mortuus efferatur, vt in parochiali ecclesia sepeliatur, cui Regularis sit præfectus, vel contra; tunc vtrique Parochi superpelliceo & stola induti pares progrediantur. Reliqui verò regulares eum locum teneant, quem in generalibus processionibus tenere consueverunt; non obstante quauis consuetudine, vel pactione, quam inter se fecerint.

Prou. 1. vlt.

Funeribus, defunctorum officijs, anniuersarijs concelebrandis, cùm rector ecclesiæ præter clericum ministrum suum, alios etiã sacerdotes, clericosve, quorum ministerio operave vtatur accersere, adhibere ve necesse habet; hoc ordine (nisi aliud defunctus, hæresve illius voluerint) illos euocet: primò scilicet, si quos habet illius animarum cura gerendæ quouis modo socios, collegas, adiutoresve; tum illius ecclesiæ titulares, vel canonicos, vel chori ministros, vel demum capellanos: item deinde clericos alios, ecclesiasticæ functioni, officiove in ea ecclesia addictos, adscriptosve; tũ præterea alios, quos mortui hæres, aut is cuius interest, accersit euocarive maluerit; nec verò plures adhiberi vllò prætextu, etiam huius decreti liceat, quàm ille velit, vel sacerdotes, vel alios, etiam clericos tantum, puerosq; clericali vestitu indutos, etiam quos illi euocati secũ duxerint: neq; rursus ad eleemosinæ emolumentive cuiusuis generis eo nomine percipiendi partem vllã; neq; denique vllum non vocatum admitti.

Prou. 4. vlt. §. Functib.

Illud Præpositi, Archipresbyteri, Parochi, Rectores, & alij quicunq; clerici caueant, nè ad funus ducendum, aut officia pro mortuis celebranda, alios pro se mittant, emolumentum, aut eius partem ipsi percepturi; neq; secum pueros, aut clericos ea spe perducant, mittantve, vt eleemosinæ, quæ illis data erit, participes ipsi sint; nec sanè verò vllam eius partem vllò quouis prætextu, etiã sponte oblatam capiant: neq; item qui mittuntur plus capiant, quàm si proprio solum nomine vocati essent.

Ibid. dioc. 11. pag. 428.

Funeris ducendi certa hora constitua

Ibidem.

T

185